

N. M. L. 368^a

h. 71, 2r.

I. N. D. N. J. C.

DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALI
DE

JURE THESAURORUM,

Quam

Divina annuente gratiâ

Ex Decreto & autoritate

Magnifici Jurisconsultorum ordinis

In Alma Argentoratensium Univerſitate,

PRÆSIDE

*VIRO Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimo
atque Excellentissimo*

DN. JOH. HENRICO FELTZIO,

J. U. D. atque Instit. Imper. & Jur. Publ.

Professore Publico celeberrimo,

PRO LICENTIA

Summos in utroque jure honores &

privilegia Doctoralia capessendi,

SOLENNITER defendet

JOHANNES CHRISTOPHORUS Geiger/

Ammerschwirensis Alsata, A. & R.

BIBLIOTHECA
POTICKAVIANA

Die 21. Januarij Anno M DCC I.

ARGENTORATI,

Litcis JOSIÆ STÆDELII, Acad. Typogr.




Handl. d. d.

.17. d.

UNIVERSITÄTS- UND
LANDESBIBLIOTHEK
SACHSEN-ANHALT
MAGDEBURG





Q. D. B. V.
AD LECTOREM.



Conscripturo disputationem quandam inauguralem assumere placuit materiam aliquam practicam, quæ suo se usu commendaret, nec fuit, ut in eligendo longas moras necterem, cum talis mihi obtigerit in examine rigoroso, in hoc enim ex Jure Imperiali mihi proposita fuit lex unica Cod. de Thesauris; quapropter cum illam ibidem tractaverim resolvendo quid nunc componendo mei in studio Juris progressus possint efficere, pro virili in eodem argumento annitar declarare.

CAPUT I.

De

*Jure Theſaurorum ſpectato
quoad nomen.*

§. 1.



Um Diſſertationi huic titulum præfixi de JURE THESAURORUM, duo reſolvenda erunt, quid nimirum intelligam *Per Jus* & quid *per Theſaurum*, utriuſque enim vocis non idem in omnibus eſt ſignificatus; imprimis *Jus* accipi diverſimode variæ Leges demonſtrant: aliquando notat *Legem*, quaſi dicas *Quod jus ſit juſſus Legislatoris*, vid. *Lex penult. ff. de Juſtit. & jur.* in quo ſenſu dicitur eſſe, *Regula actionum moralium obligans ad id quod rectum eſt* *Grotius de jur. bell. & pac. lib. I. cap. I. num. 9.* Sed acceptio hæc non eſt hujus loci, conferat tamen aliquid ad eruendam juris de quo agimus, originem; deinde *Jus* notat *id quod coram Prætorè fit*, quo ſenſu prætor dicitur jus reddere aut juxta ſtylum veterem loquendo, formulam præſcribere, ſed nec hanc ſignificationem hoc loco noſtram facimus, conferre tamen quondam aliquid ad modum ob-
tinen-

tinendi thesaurum potuit, dum aliquis pro eo ab invito
 obtinendo actionem desiderare debuit. Porro accipitur
 pro *sententia*, quo sensu aliquis, dum sententiam
 obtinet jus obtinere dicitur. Sed nec hoc modo propo-
 sito nostro convenit, nisi ad effectum actionis pro the-
 sauro consequendo velis referre, qua tamen ratione sal-
 tem aliquid particulare notabitur, dum non omni the-
 sauro convenit, sed saltem controverso, notat etiam
*Jus ipsam Jurisprudentiam tanquam Juri-
 um complexum*, prout videre est ex inscriptione ti-
 tuli primi *instit. de justit. & jur.* Sed & illa significatio
 hic aliena est. Restat consideratio juris ultima, *qua
 potestatem & facultatem* notat *personis in
 res competentem*, quo sensu in definitione justitiæ
 jus suum (hoc est potestas aut facultas alicui competens)
 tribui dicitur. *jur. instit. de justit. & jur.*

§. 11.

Nominis *Theauri* frequens in legibus occurrit
 mentio ut in *Institutiis §. thesauros 39. de rer. div. & ac-
 quir. ipsarum domin.* in *Pandectis. 39. §. 1. de aur. & ar-
 gent. legat. 44. in pr. de acquir. & amitt. possess.* in *Codice
 lege unica Cod. de Theaur.* cui addi potest *Novella
 Leonis 51. nec non Constitutio Friderici de Re-
 galibus 2. feud. 56.* ut *Codiciis Theodosiani aliorumque
 locorum mentionem non faciam*; dicitur vero *The-
 saurus* à duobus vocabulis Græcis nimirum à *τίθημι*
 (id est pono) & ab *θησαυρον* (quod notat crastinum) quasi
 the-



thesaurus sit aliquid in crastinum seu futurum usum de-
positum, si necessitas aliquem urgeat. Dicitur aliquando
thesaurus *depositio pecunia*, 31. §. 1. ff. de acquir. rer.
domin. quæ tamen non tam actum deponendi notat quam
ipsam rem depositam arg. 39. §. 1. de aur. & arg. legat.
alibi vocatur pecunia condita 44. in pr. ff. de acquir. &
amitt. possess. quæ non solum notat numeratam sed alia
quoque mobilia & ut legit *Cujacius* monilia pretiosa l.
un. Cod. de Thesaur. Galli mutatis quibusdam literis loco
thesauri usurpant nomen *le Thresor.* Germanis dicitur *ein*
Schatz / ab alio vocabulo *Schätzen* / quod hæ res de-
poni soleant instar thesauri, quæ pretium quoddam at-
que æstimationem fovent, abusivè vero pro qualibet
copia rerum selecta accipitur, librorum, apud *Ciceronem*
lib. 15. ad Asitium epist. 26. sapientiz *Psal. 33. vers. 7.* pro
re amabili *Luca 12,* magis propriè accipitur pro mobili-
bus ad futuras necessitates præsidij causa repositis veluti
in lege 22. ff. famil. hercisc. 15. ff. ad exhib. 44. pr. ff. de
acquir. & amitt. possess. 39. §. 1. ff. de aur. & arg. legat. in
quo sensu leguntur in corpore juris *Præpositi The-*
saurorum, quos Imperatores Constantinopolitani ha-
bebant & Comites l. 14. *Cod. de murilegulis lib. 11. tit. 7.*
l. ult. Cod. ut dignit. ordo servet. lib. 12. tit. 8. & l. 2. Cod.
de palat. sacrar. largit. & rer. privat. lib. 12. tit. 24. legi-
mus & *Thesaurarium* qui notat *Præpositum*
Custodia Thesaurorum l. 1. *Cod. de Canone largit.*
lib. 10. tit. 23. invenitur & *Thesauriensis* leg. nul-
lus *thesauriensis* de palat. sacrar. largit. & rer. privat. vi-
detur vero vocari *Officialis* Comitum sacrarum largitio-
num. propriissime notat *Pecuniam veterem de-*
posit.

*positam domino carentem, leg. un. Cod. de The-
saur. §. thesauros 39. Instit. de rer. divis. & acquirend.
ipsarum domin. 31. §. 1. ff. de acquir. rer. domin. l. 7. §. 12. ff.
de solut. matrim. quæ hujus loci est.*

CAPUT II.

De

*Existentia, Essentia, atque
causis Juris de Thesauro.*

§. I.

THESAUROS dari, licet rarò inveniantur, constat ex quotidiana experientia per omnes ferè terrarum partes observata, modo ab hominibus sint culturæ atque inhabitatæ, ubi namque non est deponens thesauri, ibi non erit thesauri inventor; ex juribus Justiniano imprimis, Ostrogotico, *vid. Casiod. lib. 4. epist. 4. Leonis novella 51. Lo n. gobardico & Germanico 2. feud. 56. Gallico vide Joan-Papponium lib. 13. tit. 7. arrest. 1. & 2. Lusitanico vide Ludovic. Molin. de Justit. & jur. tract. 2. disput. 57. num. 9. in fine. Bavarico prout allegatur ab Arnoldo Vinnio in commentario Instit. ad §. Thesauros Inst. de rer. divis. in fine. Saxonico vid. Carpz. ad constitut. 53. definit. 4. & seqq. Danico, Anglico & Hispanico juxta asserta Grotyj lib. 2. de jur. belli & pac. cap. 8. num. 7. ex quibus omnibus colligere licet existentiam thesaurorum non solum, sed etiam existentiam juris de thesauro.*

§. II.

Sí jam jus thesaurorum quoad essentiam examinandum

dum est, erit aliqua potestas à legibus concessa personis circa depositionem pecuniæ veterem, cujus non exstat memoria nec Dominus, in qua definitione dico quod sit *Potestas*, sive alio vocabulo *Facultas*, ut cap. i. expositum est. A *Legibus*, non quidem præcisè istis quæ interrogante Consule & respondente populo fiebant, sed constitutionibus Principum, aliisque jurium speciebus. *Concessa*, seu *Permissa*; nolo hoc loco inter concessionem & permissionem nimis scrupulose distinguere. *Personis*, tam veris quam fictis, siquidem non solum singulis hoc jus competit sed etiam universis, aut universitatibus, in quarum locis thesauri reperiuntur, §. *thesauros* 39. *Instit. de rer. divis. & acq. rer. dom.* *Circa depositionem*, arg. l. 31. §. 1. ff. *de acq. rer. dom. seu reconditionem*, arg. l. un. *Cod. de thesauris*. *Pecuniæ* non solum numeratæ sed cujuslibet rei pretiosioris arg. l. un. *Cod. de thesauris*. *Veterem*, non enim sola depositio seu reconditio thesaurum facit sed tempus adjunctum, non quod aliquid efficiat ex se sed quod requiratur tanquam conditio sine qua non; quousque autem illud tempus extendendum sit, non omnium eadem est opinio, annum intelligi vix potest, cum possessor adhuc facile queat inveniri; immemorabile vero desiderari apparet ex lege 31. §. 1. *de acq. rer. dom.* siquidem dominus ignorari debet, centum autem annos desiderari credibile non est, sæpius enim memoria thesaurorum citius expirat extinctis per bella, per

pe-

pestem, per morbos hominibus, sæpe pariter inter homines potissimum vitæ tenaces memoria durat diutius, dum pater filio, filius nepoti, & hic suis posteris in locis potissimum bello subjectis rem depositam manifestare, locum, in quo condita est, demonstrare, atque ita memoria diutius conservari queat; requiritur nempe tempus quod excludit memoriam depositionis, quando & à quo pecunia sit deposita, *arg. l. un. Cod. de thesaur. ibi: Condita ab ignotis dominis tempore vetustiori nec dominus.* Refertur enim thesaurus inter res nullius nimirum tempore juxta versum:

*Natura, casu, censura, Tempore, facto,
Res in nullius dicitur esse bonis.*

Si namque dominus scitur, sive vivat, sive mortuus sit, ei vel ejus hæredibus debet restitui, id quod moneta deposita aliquando demonstrat, si enim illa recentior sit, facile infertur, aut ad minimum præsumitur ejus esse, qui locum adhuc possidet, vel si in alium translatus sit intra annos, quos moneta comprehendit, auctoris esse, à quo habuit; talem pecuniam depositam si quis inveniret, nec demonstraret, aut restitueret, furti teneri posset, cum animo frauduloso contrectet, multò magis furti tenebitur, si scriptura sit apposita, hæc enim & memoriam temporis & deponentis conservat, qui ordine successorio ad suos heredes transmittere voluisse credendus est, 44. ff. de acq. & amis. possess. 37. ff. de acq. & amis. heredit.

§. III.

Ut ad causas progrediar; alia causa est *Thesauro-*
B *rum,*

rum, alia *Juris de Thesauris*: causa *Thesaurorum* effectrix, est depositio, à qua thesaurus initium suum accipit, & temporis lapsus, extra quod incipit domino carere & nullius fieri; Causa vero *Juris de Thesauris* sunt laudatissimi jurium de thesauris scriptorum autores, inter quos laudari merentur tam *JCTi* acutissimi quam aliqui Imperatorum Augustissimi; ex *JCTis* est Paulus in aliis textibus obscuritate, in hac materia claritate illustris *lib. 31. ad Edictum l. 31. ff. de acq. rer. dom.* nec non Tryphoninus *lib. 7. disput. arg. l. 63. ff. de acq. rer. dom.* Ulpianus *lib. 31. ad Sabinum arg. l. 7. §. 12. ff. solut. matrim.* ex Cæsaribus circa rem hanc immemorialem memoriam immortalē consecuti sunt Hadrianus §. *thesauros 39. Inst. de rer. divis. & acquir. ipsar. dom.* inclytæ memoriæ Leo, qui ante Justinianum vixit, nobis integram legem reliquit nempe *legem unicam Cod. de thesauris.* nec non Leo VI. in Novella 51, qui pariter de thesauris tractat. Ex Imperatorum Romano-Germanorum serie laudandus venit Fridericus 2. *feud. 56. de regalibus.* Inter medios etiam referri debuisset Theodosius junior *l. 1. Cod. Theodos. de thesaur.* ut aliorum Regum atque Principum memoriam nec non Jurisconsultorum modernorum brevitatis studio silentio præteream.

§. IV.

Quid vero impellat ad thesaurum recondendum & ad jura de thesauris promulganda, jam venit dicendum, aliquos qui thesauros recondiderunt in sepulchris, videtur impulsisse religio, arbitrabantur namque inhumanum esse favere in cadavera, quapropter ut res pretiosiores posteris secutè recondent, præsidiumque aliquod nidentem

dem referrent, ibidem recondebant, temporibus præfer-
 tim belli, ut facta rerum aliarum jactura hæc pecunia ipſis
 fit ſubſidio, 44. ff. de acq. & amit. poſſeſſ. 31. *ibi merus cauſa*
de acq. rer. dom. Sic theſauri Davidici poſt mille & trecen-
 tos annos Hircano ſubminiſtraffe dicuntur ter millena ta-
 lenta, Herodi vero quantum ſatis erat impenſis maximis.
 Alios ſtimulat lucrum 31. §. 1. ff. de acq. rer. dom. dum re-
 rum vel nummorum valorem augeri ſperant. Alios com-
 movet avaritia atque invidia, qui intendunt, ne aliis uſui
 ſint, quibus illi uti nolunt vel non poſſunt, quo referen-
 da Leonis VI. verba in Novella 51. *Nonnulli ita in domi-*
num ingrati erga q. communem hominum cognationem com-
miſerationis expertes ſunt, ut non modo non benignam ma-
nium egentibus præbeant, verum etiam, tanquam ſolis quoq.
radius tetricos theſauros ſuos aſpicere invideant, in terram
illos defodiunt. Alij adducuntur propter ſimplicitatem o-
 ſtentationis, dum annulos torques aliaque monilia &
 mobilia cum cadavere ſuo volunt condi, quæ merito po-
 ſteris ex Theodorici Oſtrogothi Regis diſpoſitione uſui
 publico deputentur, cum culpæ imputari poſſit hæredi-
 bus ſuperbia ſepulchrorum, quæ Ambroſio teſte damna
 potius ſunt viventium quam ſubſidia mortuorum. Quid
 vero impulerit ad juris de Theſauris diſpoſitionem par-
 tim Hadrianus monſtrat, partim Leo: Leo quidem ne-
 gative, *ne nimirum effuſis precibus ſuper invento theſauro*
pietatis aures benignæ moleſtantur, & ne DEI beneficium
invidioſa calumnia perſequatur, ut ſuperflua precum poſtu-
lationes abrogentur, ne Imperatoria Majeſtas tenacitatis ac-
cuſaretur, l. un. Cod. de theſaur. poſitive Hadrianus, hic
 enim naturalem æquitatem dicitur eſſe ſecutus, §. *the-*
ſauros 39. *Inſtit. de rer. diviſ. & acq. rer. dom.* cum enim
 natura nihil fruſtra fecerit, ſed omnia ad uſum reculerit.

videtur non noluisse; ut res quæ nullius facta est, & in libertatem naturalem se recepit, si rursus aliquando inveniretur, fieret alicujus. Licet vero Legislatori civili Reipublicæ aut Fisco totum aut ex parte assignare, cum abique soli domini damno fiat, qui locum propterea carius non emit, attamen alio æquitatis articulo adhuc Hadrianus fuit motus, arbitratus bonos Principes privatis potius quam fisco favere debere, quem secutus Theodosius junior, 2. *Cod. Theodos. de advocat. fisci*. Laudavit in Trajano Plinius *cap. 16. paneg. præcipua tua gloria est, vincitur fisci, cujus mala causa nunquam est nisi sub bono Principe*. Plinij hac de re vestigia præstitit Theodoricus supra jam laudatus, referente Dn. Lauterbachio *disput. de Thesaur. thes. 26. ex Casiod. lib. 1. epist. 22.* his verbis, *fit interduum causa mala fisci, ut bonus Princeps esse videatur, majori compendio perdimus, quam si nobis indebitè victoria suffragetur*. Quapropter Jurisconsulti in quæstionibus dubiis non delinquent, si facile contra fiscum respondeant, 10. *ff. de jure fisci*.

§. V.

Finis Thesauri est ut pecunia ab invasoribus, furibus, militibus conservetur tuta & secura. Intentio vero juris de thesauris est, ne pecunia in perpetuum jaceat condita, quæ nihil hominibus prodesse potest, quamdiu commercio est exempta; cui ex parte Imperatorum accedit alia, ne diutius census publicus fraudetur, & ut quod nullius factum est, ad usus humanos revocetur, amor subditorum concilietur, tenacitatis præsumptio supprimatur, beneficium DEI alterius propagetur, *dicta leg. un. Cod. de Thesaur. æquitas & æqualitas observetur, §. thesauros 30. Instit. de rer. divis. & acq. ipsar. dom.*

§. VI.

§. VI.

Theauri subjectum si consideramus debet esse locus, ubi pecunia tuto possit recondi & custodiri, regulariter verò sub terra recondi solet, *l. un. Cod. de thesaur.* aliquando in muro potissimum in eo, quo caveæ sustinentur, 67. *ff. de rei vind.* aliquando tamen & in foramine parietis, aut sub aliqua arbore, aut sub aliquo lapide occultari solet. Subjectum juris Theauri sunt personæ quibus potestas in thesaurum inventum vel quæsitum à Legislatoribus magnifica quadam liberalitate est concessa, harum vero series non adeo parva est; aliquando jus hoc competit domino fundi aut loci, *arg. §. 39. Instit. de rer. divis. & acq. ipsar. dom. l. un. Cod. de thesaur.* sive is sit paterfamilias, sive filiusfamilias; aliquando bonæ fidei possessori, pars interdum tribuitur usufructuario, qui in fundo proprietatis domini eum invenit; pars creditori hypothecario, sæpe datur marito, aliqua socio, interdum tertio, cui plane nullum jus in loco competit: sed de his omnibus circa hujus juris effectum latius agendum erit; datur pariter interdum personis fictis, veluti si in universitatis, aut loco publico thesaurus inveniat.

§. VII.

Materia, qua thesaurus constat, non potest non esse res mobilis, modo illa aliquod sui pretium contineat, hinc mentio fit in Codice Theodosiano mobilium, quæ speciali nomine in jure Justiniano monilia vocantur *l. un. de thesaur.* sub quibus continetur pecunia numerata, 44. *in pr. ff. de acq. & amit. possess.* margaritæ & aliæ gemmæ immo & massa auri, 1. §. 1. *ff. de acq. & amit. possess.* quæ licet impressam imaginem non foveat, sua

tamen æstimatione se commendat; ut verbo dicam, apud Latinos continebantur nomine thesauri flavissæ (hoc est flata & signata pecunia) ut è Varrone Gellius refert *lib. 2. noctium atticarum cap. 10.* non quidem quod æs rude aut argentum nondum signatum excluderetur sed quod sæpius pecunia signata, quam non signata custodia causa terræ committeretur.

§. VIII.

Ad formam thesauri spectat antecedenter depositio securitatis causa futurique præsidij gratiâ facta, est namque thesaurus depositio pecuniæ, 31. §. 1. *ff. de acquir. rer. dom.* quæ alibi reconditio appellatur, *arg. legis 44. in pr. ff. de acq. & amit. possess.* & *arg. leg. un. Cod. de thesaur.* consequenter vero est tantus temporis lapsus ut non amplius constet, quis pecuniam istam terræ commiserit, per quam ipsam depositionem & temporis lapsum illa ab aliis rebus discernitur, nam si quis rem in terra occultet, tantum tamen temporis elapsum non sit, ut de possessore constet, nullatenus thesaurus est.

§. IX.

Ad formam juris circa thesaurum competentis pertinet inventio non nuda ocularis sed cum affectu conjuncta, 1. §. *fin. ff. de acq. & amit. possess.* respectu enim partis quæ inventori competit, cum rebus convenit quæ in nullius sunt bonis, 31. §. 1. *ibi: Sic enim fit ejus, qui invenerit quod alterius non sit, ff. de acq. rer. dom.* nec opus est, si modo aspectus & affectus adsit, ut de loco in locum transferatur, res namque nullius protinus eorum fiunt qui possessionem primi apprehenderunt, 1. §. 1. *de acq. & amit. possess.*

CAP.

CAPUT III.

De
Effectu & Contrariis
Theauri.

§. I.

Effectus juris Theaurorum est ipsa proprietas, quæ à Legislatoribus inventoribus vel locorum dominis conceditur, & pro diversitate rerum diversimodè distribuitur, cum verò ex titulo primo *Inst. de rer. divis.* res dividantur in eas quæ extra patrimonium & illas quæ in patrimonio sunt, *pr. ejusdem. tit.* & rursus eæ quæ in patrimonio sunt, vel propriæ sint, vel communes, vel alienæ; proprietatem hanc secundum distinctiones has allatas deducemus. Imprimis ergo si locus in patrimonio sit atq; inventoris proprius, tunc totus Theaurus invententi domino cedit, §. 39. *Inst. de rer. divis. & acq. ipsar. dom.* & *l. un. Cod. de thesaur.* cum enim in thesauro duo spectentur, loci proprietas, quæ domino competit, & DEI beneficium, quo inventor honoratur, merito secundum naturalem æquitatem tanquam res nullius occupanti domino ceditur, §. 39. *Inst. de rer. divis. & acq. ipsar. dom.* & plane nihil interest sive dominus eundem in loco suo invenerit casu, nullam de eo cogitationem fovens, dum fundum vel arabat, vel culturæ causa terram fodiebat, vel alij rei operam infumebat licitam, sive data opera ipsum obtineat juncta arte non prohibita *l. un. Cod. de thesaur.* nam si quis sacrificia (uti Leo vocat) scelerata & punienda adhibeat, vel arte legibus prohibita utatur, non modo frustrancam impem-

pendit operam pro parte inventoris sed amissione quoque partis ex proprietate loci dependentis destituitur aliaque poena jure meritoque afficitur vindicante totum sibi fisco *l. un. Cod. de thesaur. & 5. Cod. de maleficiis.*

§. II.

Cum vero, quod quis per alium facit, ipse fecisse putetur, nihil plane intererit, an proprietarius eundem in suo vel per se vel per alios repererit, sive vinculo potestatis ipsi subiectos veluti filiusfamilias & servus, sive ob conductas operas sibi obligatos, *arg. 63. in princ. ff. de acq. rer. dom.* ubi hæc verba habentur, *si in parentis dominiq, loco quis invenerit, illius totus erit*, ubi tamen distinguo ratione filijfamilias, an ille in fundum patris operarum causa missus sit, an vero tanquam aliud agendo citra operas à patre intentas repererit? priori namque casu definitionis nostræ assertum totum adhuc thesaurum patri adjudicat, si vero filiusfamilias tanquam aliud acturus citra intentionem patris thesaurum obtinuerit, vel forte fortuna vel licitè inquirendo, subdistinguedum esse arbitror inter jus antiquum & novum, §. 1. *Inst. per quas pers. cuiq, acq.* Licet enim quondam quidquid præter péculium castrense & quasi castrense filij acquirebant, acquirebant in solidum patri; attamen ex benignitate Justinianea péculij adventitij à profecturio distinctione introducta totus thesauri ususfructus manebit penes patrem, proprietas vero relinquitur filio, quo faciunt expressa verba, 6. *in princ. Cod. de bonis qua liberis.* Versu certam inducimur definitionem, *si quis itaque filiusfamilias vel patris, vel avi, vel proavi in potestate constitutus aliquid sibi acquisiverit, non ex ejus substantia, cujus in potestate sit, sed ab aliis quibuscung, causis, que ex libera-*

beralitate fortune vel laboribus suis ad eum perveniant, ea non in plenum, sicut antea erat sancitum, parentibus, sed usq; ad usumfructum solum acquirat. Ob justam sanctionis rationem, ne quod ex suis laboribus vel prospera fortuna accesserit, hoc ad alium perveniens luctuosum ei procedat, §. I. *Inst. per quas pers. cuiq; acq.* cum potissimum à DEO donum hoc dependeat, l. *un. Cod. de thesaur.* qui fortuna intercedente donum hoc communicat, *arg. legis 63. §. I. ff. de acq. rer. dom.*

§. III.

Sed quid si servus plurtium in loco unius domini thesaurum invenerit, cujus tum thesaurus erit? quin pars ex loci proprietate dependens isti domino competat, dubium nullum est; quoad partem fortunæ subdividendam hanc arbitror inter omnes servi communis dominos; arbitratur quidem Dn. Lauterbachius & Dd. communiter partem fortunæ subdividendam non esse argumentum ducentes ex *lege 63. §. 2. ff. de acq. rer. dom.* Sed cum argumentetur l. illa à diversis ab eo nempe quod servus communis unius domini jussu stipulatur, vel per traditionem accipit, definitionem ejus sine restrictione admittere tutum non est, certe si dominus jussisset, probabile ejus est assertum, totum jubenti cedere, si vero servus sine jussu forte fortuna invenerit, partem fortunæ debitam dividendam esse arbitraretur.

§. IV.

Contingit ut sæpè quis sit servi proprietarius, alter ejus usufructuarius; si talis in fundo usufructuarij proprio thesaurum laboribus alij rei insumendis invenerit, ad quem spectare debeat? dico partem esse usufructuarij, cujus fundus est proprius, partem vero ejus, qui servi
C
habet

habet proprietatem, cum illud servus in usufructum datus usufructuario acquirat, quod ex ejus re vel operis suis est, quod vero extra eas causas, ad dominum proprietatis pertineat, §. 4. *Instit. per quas pers. cuig. acq.* ex quo sponte profluit hominem liberum bona fide possessum dimidium sibi, dimidium bonæ fidei possessori acquirere; servum vero alienum dimidium bonæ fidei possessori, dimidium domino suo conferre, 63. §. 3. ff. *de acq. rer. domin.*

§. V.

Occasione jurium, quæ aliis conceduntur, dubitari possit, num si quis dominorum alteri cuiquam fundum elocaverit potissimum ad longum tempus, num domino invenienti totus sit assignandus? sed contra conductorem invenienti locatori tribuimus, arg. 39. *locat. & conduct. juncta 8. & 9. commodat.* qua occasione cum locatio ad similitudinem emptionis introducta sit, disquirendum est, num venditor thesaurum inveniens, antequam fundum emptori tradat, totum suum faciat? dubitari enim potest ex eo quod illud habere non videamur, quod restituere alteri tenemur, 22. ff. *de acq. & amitt. possess.* & quod emptor actionem ad rem habens, rem ipsam habere videatur, 15. ff. *de reg. jur.* 143. ff. *de verb. signif.* 52. ff. *de acq. rer. dom.* cui accedit, quod emptoris uti periculum est rei venditæ, ita ejus quoque debeat esse commodum, §. 3. *Instit. de empt. & vend.* 1. 5. *Cod. de peric. & commodo rei venditæ.* Sed pro venditore pronunciamus, quia antequam rem emptori tradit, verum adhuc dominium habet licet avocabile, §. 3. *Instit. de empt. & vend.* II. *Cod. eodem.* nec emptor aliud quid quam jus ad rem habet, cum non obligatio dominium transferat, 3. *pr. ff. de oblig. & action.* sed traditio 20. *Cod. de pactis.* Thesaur.

RUS

rus autem non ex jure ad rem, sed ex jure in re adjudicatur; sit igitur quod venditor habere non videatur fundum, quem restituere (quod dare hoc loco notat) teneatur tanquam venditum; non tamen tenetur ad DEI beneficium ipsi datum; sit pariter quod emptor fundum habere censeatur, quia actionem ad eum habet, non tamen thesaurum habere censeatur, quia fundum vendidit, non thesaurum; sit tandem quod periculum fundi & commodum ad emptorem pertineat, quia venditus est, non tamen fortunæ donum, de quo neuter contrahentium cogitavit.

§. VI.

Magis adhuc dubitare quis posset, si tertius v. g. jus oneris ferendi in aliquo pariete habeat, aut quod plus est, si usumfructum in alterius fundo possideat, an non inventor dominus aliquid communicare debeat vi prædij dominantis vel personæ usufructu gaudenti? sed omnem omnino spem dominantis prædij domino, atque usufructuario præscindimus, quia paries vel fundus est alienus, *pr. Instit. de usufruct.* nec thesaurus unquam in fructibus computatur, 7. §. 12. *ff. solut. matrim.* cum nec ex natura rei, nec industria usufructuarij ex fundo fuerit productus, potissimum cum thesaurus res sit ab usufructu separata, 3. §. 3. *ff. de acq. & amitt. possess.* ex quo inferimus thesaurum ab hæredibus mariti in loco dotalitij inventum, horum esse totum; qua occasione & illud inferimus thesaurum in fundo ad peculium adventitium regulare spectante à filiofamilias inventum, integrum esse filiofamilias quoad proprietatem, quoad usumfructum vero pertinere ad patrem, *arg. 6. pr. Cod. de bonis qua liber. & §. 2. Instit. per quas pers. cuiq. acquir.*

§. VII.

Durior decisu casus est, si dominus utilis feudi, emphyteusis, aut superficiæ eum inveniat an thesaurum suum faciat, *arg. 3. §. 7. uti possid.* videtur non nisi partem fortunæ his concedendam, cum res ipsa eorum non absolute sit propria, *1 pr. & §. 1. ff. si ager vectigal. & 1. §. 1. & 2. ff. de superfic.* sed quoad praxin integer cedit, quia refertur ad perceptionem commodorum, *Dn. Schilzerus in Instit. jur. Imperial. nota ad §. 39. de rer. divis. & acq. ipsar. dom. conf. Struv. Syntagmate J. feudalis.*

§. VIII.

Sed cujus thesaurus erit, quem appanagiatus in suo appanagio invenit, pars fortunæ pertinebit ad appanagiatum, pars fundi adferatur ad fratrem primogenitum, cum hic verum ille saltem quasi dominium obtineat.

§. IX.

Cum porro bona fides tantum possidenti præstet quantum veritas domino *136. ff. de reg. jur.* cui thesaurum adjudicabimus? definitio antea allata hanc quoque questionem decidet; partem nimirum beneficii divini esse bonæ fidei possessoris, reliquam verò spectare ad verum fundi dominum; cum bonæ fidei possessio dominio vero cedat *arg. fin. ff. de publician. in rem actio.* ex quo inferimus, quod cum creditori hypothecario fundus oppignoratatus non sit proprius *arg. 63. §. 4. ff. de acq. rer. dom. 11. ff. de damnò infecto. 44. §. 5. ff. de usucap. & usurp.* solam fortunæ partem suam facere.

§. X.

Cum supra adductum sit tempus immemoriale ad thesauri essentiam requiri, res dubij non expers est, si emptor hodie accipiens fundum, invenerit thesaurum, quem scilicet fundum heri à venditore emit sciente possessorum

simum

simum aut conjecturante thesaurum in fundo latitare? sed tunc totum suum faciet emptor exclusa læsione ultra dimidium *arg. 3. §. 3. ff. de acq. & amit. possess. emptori* tamen succurreretur ex hoc ipso beneficio, si duplum pretij persolverit, licet thesaurum postea in fundo repererit, cum quod fortuna alicui offert, læsionem refarcire non possit.

§. XI.

Contingit haud rarò, ut quid immobile resolutivè vendatur; si in tali re ab emptore thesaurus inveniatur, num contractu resolutò hunc venditori restituere cogendus erit? arbitramur minime cum licet fundus abite possit, 66 *ff. de rei vindi.* thesaurus tamen abire non potest, 205. *ff. de reg. jur.* ex quo concludimus maritum in fundo dotali inventum thesaurum durante matrimonio totum suum facere, hoc vero soluto non nisi dimidiam partem restituere debere, *arg. 7. §. 12. ff. solut. matrim.* cum maritus dominium actu, uxor potentia habeat.

§. XII.

A fundo proprio transimus ad communem, in quo thesaurus inventus est, ubi cum res communis sit vel ex contractu societatis initæ vel præter spem obvenientis, ibi thesaurum socio omnium bonorum communicandum credimus, cum eo recidant omnia quocunq; modo quæsitæ 3. §. 1. 73. *ff. pro socio.* Socio vero bonorum simpliciter non nisi quarta thesauri erit communicanda, dimidia namque pars inventori à DEO donata est, dimidia vero altera subdividenda, inter socios, jure proprietatis, *arg. §. 39. Instit. de rer. divis. & acq. rev. dom.* Idem dicendum si quis v. g. hæredum in societatem communem inciderit, namque partem doni DEI suam faciet, reliquam inter se & cohæredes divider.

§. XIII.

Pedem promovemus ad fundum alienum, in quo tertius data opera thesaurum inveniens totum loci domino restituere debet, *l. un. Cod. de thesaur.* cum aliena effodere sine permisso domini non debeamus, cum *in alienis terrulis nemo audeat invitis, non volentibus, vel ignorantibus dominis opes abditas suo nomine perscrutari*, nec ars inveniendi magica fundi domino aliquid adimet aut fisco acquireret, cum alterius malitia non debeat esse alteri noxia; si tamen domini consensum habuerit, operamque licitam adhibuerit, dimidio gaudebit thesauro, qui labore ejus licito est quaesitus, nisi loci dominus operam plane vanam arbitratus fuit ut nullam de inveniendo thesauro spem habuerit, nam totum inquirenti concedimus, quod tamen in dubio non praesumitur cum species sit donationis, *arg. 25. ff. de probat. juncta 7. ff. de donat.*

§. XIV.

Si vero tertius casu fortuito inveniat veluti depositarius in deposito. *17. §. 1. ff. de pos.* tutor in fundo pupilli, curator in praedio minoris partem thesauri suam faciunt jure inventionis, partem dabunt deponenti, pupillo, vel minori. Qui vero tanquam tertius in fundo, in quo duobus jus competit, invenerit, veluti usufructuario, emphyteuticario, oppignorato, superioribus convenienter partem suam faciet, partem proprietario, juxta theoriam directo domino, juxta praxin domino utili, nunquam usufructuario restituet.

§. XV.

Nec intererit, si locus iste respectu tertij spectat ad privatum, vel ad principem, vel civitatem, vel Ecclesiam, vel aliam universitatem. *arg. §. 39, Instit. de rer. divis. & acq.*

acq. ipsar. dom. Si enim quis eum quærat, totus est principis, Ecclesiæ, civitatis, cum non plus juris sit in horum locis quærere quam privati alienis.

§. XVI.

Occasione supra adducti §. 39. transitus ad thesaurum in locis extra patrimonium inventum, de quo concludimus totum esse inventoris, si reperiatur in loco sacro, cum hic nullius esse censeatur. §. 7. *Instit. de rer. divis. & acq. ipsar. dom.* quod autem ante nullius est, id naturali æquitate occupanti acquiritur. §. 12. *Instit. de rer. divis. & acq. rer. dom. l. 3. ff. de acq. rer. dom.* Si in loco religioso reperiatur, Callistratum in lege 3. §. 10. *ff. de jure fisci.* verbis: *Si in locis religiosis aut monumentis thesauri reperti sint, dimidia pars fisco vindicatur* Obedientiæ imperiali Hadriani submittamus, qui §. 39. *Instit. de rer. divis. ei concessit, qui invenerit in loco religioso fortuito casu.* Distinguiamus & Callistrati sententiam de locis religiosis; de illis intelligimus, quæ in fundis fiscalibus constituta sunt; Hadriani vero oraculum exaudimus, quæ planè omnimodo communi sepulturæ abdicativè relicta sunt.

§. XVII.

Hæc de effectibus thesauri, qui possunt appellati primi; agendum jam foret de effectibus inde ortis, quibus actionibus & remediis thesaurus ab aliis invitis possit obtineri, inter quæ remedia aliquando vindicationem arg. §. 28. *Instit. de rer. divis. & acq. ipsar. dominio.* aliquando actionem pro socio aliquando communi dividendo. arg. §. 27. *Instit. de rer. divis. & acq. ipsar. dom.* eligendam esse sentimus; sed his relictis ad contraria pergitur.

§. XVIII.

Contraria vero ipsius thesauri sunt cognitio ejus,
qui

QNTT 746 (22.) 50


qui illum terræ commiserit, nam si sciatur, quis sit dominus, vel cognosci queat ex moneta non adeo tempore longo ante excusa, non erit inventorum sed vel venditorum aut permutantium antea dominorum. Contrarium verò juri ipsi jus est recentius quod aliis atq; aliis thesauri proprietatem contra Hadriani, Callistrati, Leonis, aliorumque sententiam attribuit, quo referri potest imprimis diversorum Regnorum diversa de thesauris dispositio, quam tamen tanquam specialem juri communi derogantem non aliter admittimus, quam si eandem prius videamus deductam; quod enim Grotius *lib. 2. de jur. bell. & pac. 8. num. 7.* audacter asserit quod *Germania populi thesauros ut & alia ἀδελφωτα, addixerint principi, atq; id nunc jus commune esse quasi gentium, & in Germania, & Gallia, & Anglia observari*, haud universale credimus, nam nec Galli totum thesaurum Regi tribuunt per arresta reperta apud Joan. Papponium *lib. 13. tit. 7. arresto 1. & 2.* nec Lusitani, nec Castellani communi juti hactenus derogant teste Molino *disput. 56. num. 10.* nec Germani asserente Sixtino *de Regalibus lib. 2. cap. fin. num. 1.* potissimum Saxones quorum Elector jus Romanum de thesauris speciali constitutione approbavit. *part. 2. verbis: Und dero wegen/ so einer auff frembden Grund ohne Vorsatz auß Glücks Zufall/* referente Carpzovio *ad constitutionem 53. definit. 4. & seqq.* Sed hæc de controversâ Theorico-practicâ **THESAURORUM** materiâ dicta cedant ad Majorem **DEI TER. OPT. MAX.** honorem & gloriam. Qui plura desiderat, adeat Celeberrimi olim Argentoratenſium Antecessoris Casp. Bitschij absolutissimum de hoc argumento tractatum.

F I N I S.

X2380 026

me





B.I.G.

Farbkarte #13

N. M. 1368a
h. 71, 2r.

II R
746

I. N. D. N. J. C.
DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALI
DE
**JURE
THESAURORUM,**

Quam
Divina annuente gratiâ
Ex Decreto & autoritate
Magnifici Jurisconsultorum ordinis
In Alma Argentoratensium Univerſitate,
P R Æ S I D E
VIRO Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimo
atque Excellentissimo
DN. JOH. HENRICO FELTZIO,
J. U. D. atque Instit. Imper. & Jur. Publ.
Professore Publico celeberrimo,

PRO LICENTIA
Summos in utroque jure honores &
privilegia Doctoralia capessendi,
SOLENNITER defendet

JOHANNES CHRISTOPHORUS Geiger/
Ammerschwirensis Alsata, A. & R.

BIBLIOTHECA
POMERANICA

Die 21. Januarij Anno M DCC I.

ARGENTORATI,
Litæis JOSIÆ STÆDELLI, Acad. Typogr.

UNIVERSITÄTS- & BIBLIOTHEK
HALLE
(SALE)

20